

- 130 *dispositio eius. Notandum y) quod differencia est inter tractatum et librum, quia tractatus est liber compendiosus, id est brevis et utilis, sed liber extendit se ad ediciones longas et difficultate traditas. Et sequitur: In secundo de circulis, in quo ostendit quid factururus sit in secundo capitulo, dicens: In secundo capitulo dicemus de circulis ex quibus componitur*
- 135 *spera materialis, id est hec spera artificialis, quam in manibus tenemus, et hec supercelestis, que ymaginatur per illam artificialem, eciam intelligitur componi ex talibus circulis. Et dicit notanter: intelligitur, quia in celo non sunt tales circuli reales sed ymaginati, et intelligitur secundum cursus z) astrorum; ut si homo currat circulariter super terra solida et*
- 140 *plana et aliquis secundum cursum eius ymaginetur circulum, sic est de circulis celi. Ibi sequitur: In tercio de ortu signorum. In qua parte ostendit quid dicat in tercio capitulo dicens: In tercio capitulo dicam de ortu et occasu 12 signorum, que sunt: Aries, Thaurus, Gemini etc.; de quibus videbitur post. Et eciam dicemus in eodem capitulo de diversitate dierum et noctium, que diversitas fit hominibus habitantibus in diversis locis terre; quare scilicet aliqui homines pro medio anno habent diem et pro medio noctem, quare aliqui homines semper habent noctes equales diebus per totum annum, quare aliqui per quattuor septimanas habent noctem et per totidem diem aliquando, et quare nobis sint dies*
- 150 *longiores in estate quam in hyeme et noctes breviores et econtra. Et eciam dicemus de divisione clymatum in eodem capitulo, id est parcium habitabilium terre — est enim clyma idem quod pars habitabilis terre —, quare aliqui homines habent in anno duas estates et bis <h>yemem, quare aliqui habent frigus magnum, sicut septentrionales, et aliqui intensum*
- 155 *calorem, sicut meridionales et orientales et occidentales, et sic de consimilibus; quantum scilicet distet unum clyma ab alio in longitudine et latitudine et quomodo unum excellatur in horis diei naturalis a reliquo, hoc totum in tercio capitulo dicemus. Sequitur: In quarto de circulis; ostendit quid sint decursus in quarto capitulo dicens: Dicemus in quarto*
- 160 *capitulo de circulis planetarum, id est stellarum errantium vel mobilium motu proprio, sicut Saturnus, Jupiter, Mars etc., de quibus videbitur post, et dicemus de motu planetarum in eisdem circulis, scilicet ecentricis et epyciclis, de quibus omnibus videbitur. Eciam dicemus in eodem capitulo de causis eclipsium, id est defectuum claritatis solis et lune, scilicet que*
- 165 *sit causa eclypsis solis et eclypsis lune; et tunc habebit finem iste tractatus.*

---

y) Notandum *am Rande verb.*

z) cursus motus *Hs.*